

Heinrich Müller

Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Müller/ Theol. D. & Prof. Ordinar. Ad Festum Circumcisionis in memoriam Circumcisi Immanuelis pia cum devotione celebrandum Omnes, qui Academiam pro magistratu habent, peramanter invitat, serioq[ue] cohortatur : [Publicatum Sub Sigillo Rectoratus d. 1. Ian. anni MDCLXX ...]

Rostochii: Kilius, [1670]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735672210>

Druck Freier  Zugang



Programma Metzger

3

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HENRICUS

Müller

Theol. D. & Prof. Ordinar.

Ad

Festum Circumcisionis

in memoriam

Immanuelis

CIRCUMCISI
IMMANUELIS

pia cum devotione celebrandum

Omnes, qui Academiam pro magistратu habent, peramanter invitatur, feriòq; cohortatur




ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universi. Typogr.

R. U. - Progr 1670

1670



IMMANUEL!



Irabimini fortassis, *o mei*,
quod compellem Vos Ego, &
nunc quidem, ubi ex more Aca-
demix compellendi non eratis,
Compellari debebatis, sed ab eo,
qui antè bimestre spatium publi-
cà auctoritate rituque solenni
renuntiatus est RECTOR MA-
GNIFICUS, & in ipsis, qui mor-
semper fuit, nati IMMANUE-

LIS feriis. At visum aliter, qui mortes vitasvè hominum
pro lubitu dispensat, summo rerum omnium moderatori
DEO, cujus voluntate factum, uti sub ipsis nati IMMA-
NUELIS feriis, denasceretur cheu! IMMANUELIS An-
gelus, RECTOR Academiae MAGNIFICUS, Vir celebra-
rissimus, longiorisque usurà vitæ dignissimus. Siluit, tunc
de Tabula publica, siluit ex dolore recenti adhuc stupens
& sui quasi oblita mater Academia. Nunc tamen ad se-
ipsam reversa sibi que veluti reddita per me (cui concor-
dia Patrum Academicorum suffragia SCEPTRA tradide-
runt, regiminis insignia) in ipso circumcisi IMMANUE-
LIS festo Vos compellat verbis Prophetæ: CIRCUMCI-
DIMINI DOMINO, ET AUFERTE PRÆPUTIA COR-
DIUM VESTRORUM *Jer. IV. 4.* Nostis, quod iussi fue-

1781
Lapis JOHANNIS KEILII, MARCHII, 1781
xint

23

nt Juæi in Patre suo Abrahamo circumcidere carnem præputii, quæ erat pellicula s. cuticula summam membri virilis partem obtegens, ob cujus resectionem contemptim Judæus à Romanis *apella & recutitus*, quasi pello, s. cute, illánudatus appellari solet. Ab his existimo circumcisionem suam mutuatos esse gentiles. De Ægyptiis Herodotus lib. II, c. 36. *Ægyptii virilia circumcidunt munditiæ gratiâ, pluris facientes se mundos esse quàm decoros.* Ab Ægyptiis ad Æthyopas, Colchos & alias gentes illa genitalium circumcisio derivata est. Ipsi tamen Ægyptii susceperintne circumcisionem ab Abrahamo an à Josepho, nondum satis constat. At quod reverâ susceperint, confirmat Josephus de Sacerdotibus Ægyptiis scribens lib. II. cont. Appion. *Circumciduntur omnes, & à porcinis carnis us abstinent.* Quodque id fecerint cacozelia Israelitarum, in Ægypto incolarum, testes sunt Hieronymus in Jer. IX. 25. & Theodoretus in Ezech. XX, 13. Causas, cur circumcidi voluerint gentiles, Philo libr. de circumcis. recenset quatuor, quarum *prima* est, ut morbus curatu difficilis, quem carbunculum vocant, caveatur, quia præputiatis facilius innascatur; *Secunda*, ut totum corpus sit purius, nec impediatur officia ordinis sacerdotalis; *tertia*, quod cordis similitudo quædam huic particulæ insit, quia utrumque generandi habeat vim; *quarta*, ut cura habeatur fecunditatis & numerosæ sobolis. Has causas se didicisse ait ἀρχαίολογέμενα τῶν Ἰσραηλίων αἰδέσθαι οἱ τὰ μάστιγες & πικρῶς διηγήνευσαν, quæ tamen omnia futilia sunt & nil nisi splendida commenta. Nos missis gentilibus revertimur ad Judæos, qui hodie circumcisioni suæ multum admiscent superstitionis. Superstitiosum certè quod circumcidendi curam viris tantum adjudicant, & quidem olim soli patri vel familias, vel synedrii, hodie suo מורה
quem

quem habent artis peritum, ut nos docet Synagoga Ju-
daica p. 77. Superstitiosum, quod eam peragunt qualibet
re, etiam silice, vitro, & omnire alia qua scindit, tantum
non circumcidunt fragmento canna, propter periculum, ut lo-
quitur Maimonides, Hil. Mil. c. II. f. I. Superstitiosa,
hæc, quæ, eodem referente Maimonide, c. III, f. I. Circum-
cisioni adhibetur à patre circumcidendi verborum for-
mula; *Benedictus es Domine Deus noster, Rex mundi, ipse
sanctificavit nos preceptis suis, & mandavit nobis, ut intro-
ducamus eum in fœdus Abrahami patris nostri.* Superstitio-
sus ipse circumcidendi modus. *Quomodo circumcidunt?*
inquit idem auctor: *Præcidunt omnem cutem, quæ operit glan-
dem penis, usq; dum mentula planè fuerit detecta: postea denu-
dant membranam tenuem, quæ infra cutem, pollice, eamque
ultra citroque trabunt, usq; dum caro pene videatur denudata.
Tum circumcisionem fugit, donec sanguis ex loca remotis, ne
forte periculum ei aliquod creetur, prodierit: & quicumq; non
exugit, reum eum pronuntiant: postquam autem exsuxerit, im-
ponit ei splexium aut emplastrum, aut simile quid.* Plura ejus-
modi reperias in Talmude Tract. de Sabb. Sect. 2. 3. Quæ
omnia superstitione sunt plenissima, cum eorum nihil ha-
beat in sacris literis, Nihil illæ de ministro circumci-
sionis familiæ patre, aut ejus loco viro perito & adueto.
Zippora, quæ non pater, sed mater erat familiæ, circumci-
disse legitur filium suum cultello lapideo, & *in xpo* *bo* *stian*
pedibus applicuisse Mosis, sponsumque sanguinum appel-
lasse, *Exod. IV.* Quod ad instrumentum attinet circum-
cisoris, equidem non negaverim, adhibitos esse in peragen-
da circumcissione cultellos lapideos. Prolixè id probat *Cl.*
Sculterus. Ebraicum *רצ*, quod *Exod. IV, 25. Jos, 5, 2.* les-
gitur, & hinc inde gladium acutum denotat, *LXX.* utroque
loco interpretantur *Petram* vel *Lapidem.* Nec aliter Latini
Patres.

25

Patres. Augustinus lib. VI. quæst. sup. Jos. Dixit Dominus
ad Josuam, *Fac tibi culeros de petra acutos.* Cyprianus lib. I.
test. *Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos.* Nec absurdum
est, lapide cutem circumcidi. Nam paganos olim virilia
vel silice, vel samia testa resecurisse, gravissimi auctores sunt
qui scribunt. Arnobius lib. V. *Atijs testula sibi genitalia
defecar.* Et Catullus; *devolvit ille acuto sibi pondera silice.*
Ac testatur Laurentius Ramiretus apud Scultetum, occi-
dentalis terræ incolas expolire silices, quibus ad circumci-
sionem venæque sectionem utantur, etsi magna nunc apud
eos sit ferri copia. Quod tamen de fragmento cannæ ad-
fert Maïmonides, superstitiosum est atque futile. Nec il-
la benedictionis formula, quæ pater infantis circumciden-
di utitur, in sacris legitur præscripta. Quin & ipsa mem-
branulæ denudatio, quam פריעה peculiariter vocant, &
the anpoßustus dilaceratio circumcissioni superstitiosè ad-
jungitur, ut quæ nec à Deo præcepta, nec prisca Judæis u-
su fuit recepta. Ipsa verò Circumcisio divinitus institu-
ta in signum fœderis, in tesseram populi Hebræorum, in
typum sanguinolenti sacrificii Christi, in *μνημόσυρον* con-
nata labis originariæ, & in primis, ut resonaret quotidie in
ecclesia Vox Jehovah, CIRCUMCIDIMINI DOMINO. E-
am etiam ob causam ipse DOMINUS in carne circumcisus.
Nimirum qui pro se circumcissionis legi subjectus non erat,
pro nobis subjici voluit, tum ut ostenderet in se veritatem
carnis humanæ, quam negaturum prævidit Manichæum,
negaturū Valentinum; tum, ut demonstraret se esse de pro-
genie Abrahamæ; qui circumcissionis mandatum primus ac-
cepit à Deo cum annexa dulcissima de Messia promissione;
tum ut humilitatis atque obedientiæ virtutem suo nobis
commendaret exemplo, præceptum legis observans cum
legis esset Dominus; tum, ut qui in similitudinem carnis
pec-

— III —

pec-

peccati venerat, remedium, quo caro peccati mundari con-
fueverat, non abnueret; tum ut legis onus in se transferens
nos isthoc onere sublevaret; tum quam maximè, ut non
voce tantum sed & exemplo hos hortaretur, CIRCUMCI-
DIMINI DOMINO. Summa religionis est, imitari quem
colas. Circumcisus est DOMINUS. Circumcidimini
ergo DOMINO, qui DOMINI estis & in genitivo & in no-
minativo. CIRCUMCIDIMINI DOMINO. Rectè Chry-
sostomus expendens verba Prophetæ, sermonem esse in-
quit de circumcissione κατὰ ψυχὴν, quæ præputium aufe-
rat non corporis, sed cordis. Hæc nempe sola cordis in-
spectori DOMINO fit. *Non enim externa circumcisio, qua
in carne fit, vera circumcisio est, sed illa demum vera circum-
cisio est, qua cordis est, quæq; fit in Spiritu, non in litera, Rom.
II. 28, 29.* In DOMINO circumcisi sumus qui DOMINI
sumus, *Circumcissione sine manibus factâ, exsuendo corpus
peccatorum carnis, per circumcissionem Christi. Coloss. II, 11.*
Hæc nostra circumcisio antiquâ illa Judaicâ excellentior
multo, multo efficacior. Circumcidebantur Judæi, sed
à Mose, vel aliis hominibus Mose etiam inferioribus; cir-
cumcidimur nos sed per Christum, Mosis Dominum. Illi
habebant circumcissionem, sed manu factam, corporalem
nempe atque sensibilem; nostra Christi est, ipsiusque
Spiritu facta, adeoque interna atque invisibilis. Illa pellic-
ulam duntaxat demetebat carnis; nostra totum peccati
corpus ex carnali generatione ortum abolet, corpus, in-
quam, peccati, non ipsum corpus, non ipsam carnem, sed
corpus peccatorum carnis, s. massam vitiorum ex corru-
ptione carnis pullulantium. Hæc ergo circumcisio
CIRCUMCIDIMINI DOMINO. Deponite, ô mei, cum
veteri anno veterem quoque Adamum. Purgate ani-
mam. Abiicite vitia. Expuite corpus peccatorum. Non
mem.

27
membrum unum alterumvè ex corpore hoc abscindite,
totum amputate, totum mortificate. Totos vos circum-
cidite DOMINO, qui toti peccato estis inquinati. Non
mundatur, nisi qui omnibus peccatis renuntiat. Quis
enim mundum dixerit hominem, qui vel in una tantum
cloaca volutetur? CIRCUMCIDIMINI DOMINO,
juvenes Academici. Circumcidimini OCULOS, ne
sine freno per obvia quæque objecta vagentur liberè. In-
custoditus oculus incustoditæ mentis nuntiûs est. Circum-
cidimini OS, ne quicquid occurrit potus atque ciborum
absumaris omne vestrisque sepeliatis ventribus. Quos
certè ego non homines sed pecudes, nec edere aut bibere,
ut vivant, sed vivere ut edant atque bibant dixerim cum
Plutarcho. Circumcidimini LINGUAM, ne ad Calum
usque extendatur & Altissimum blasphemet, ne proximo
detrahat, ne piorum aures offendat, aut immani boatu
plateas repleat. Circumcidimini AURES, ne omnia pro-
miscuè per eas ad cor admittatis vestrum, sed ea tantum
quæ saluti vestræ prodesse possunt. Certè non obviam,
quamvis facile biberitis aquam, eam etiam quæ foetida sit
atque noxia, cur ergò quosvis sine discrimine noxios etiam
imbiberetis sermones? Circumcidimini COLLUM, ne
dum breviori collo longiores attrahitis haustus, vino im-
moderatiore calorem naturalem, humoremque, quo is
alitur, lenem obruentes, vitam (futuram alioquin longio-
rem) vobis præcidatis ipsi. Circumcidimini MANUS, ne
dum in prælia proruitis atque pugnas, innoxium fundatis
sanguinem. Circumcidimini PEDES, ne extra viam man-
datorum Domini vagentur, sed sanctissimis Circumcisi Im-
manuelis insistant vestigiis. CIRCUMCIDIMINI DOMI-
NO ET AUFERTE PRÆPUTIA CORDIUM VESTRO-
RUM. De corde enim exeunt cogitationes malæ & quæ


coin-

coinquinant hominem. Si Christi estis, crucifigite carnem cum concupiscentiis suis. Hæc sub novi anni initium meditamini, hæc agite, o mei, ut gloriari possitis cum Paulo: *Nos sumus circumciso, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu, nec in carne confidimus.* Phil. III, 3. Sic annus, quem hodie ingressi estis, novus ex animi Vobis vestri sententia fluet. Quod ut propitio fiat Immanuele cordicitus voveo.

Publicatum Sub Sigillo Rectoratus d. 1. Jan. anni MDCLXX, quem toti orbi Christiano, provinciæ imprimis Meklenburgicæ, ejusdemque SERENISSIMIS PRINCIPIBUS, Dominis nostris Clementissimis, Academiæ item huic ejusque civibus omnibus ac singulis, rùm etiam Senatui populoque Rostochiensi salutarem apprecamur.



membrum unum alterumve ex corpor
totum amputate, totum mortificate. T
cidite DOMINO, qui toti peccato estis
mundatur, nisi qui omnibus peccatis
enim mundum dixerit hominem, qui
cloaca volutetur? CIRCUMCIDIMINI
juvenes Academici. Circumcidimini C
sine freno per obvia quæque objecta vage
custoditus oculus incustoditæ mentis nu
cidimini OS, ne quicquid occurrit pot
absumaris omne vestrisque sepeliatis v
certè ego non homines sed pecudes, nec
ut vivant, sed vivere ut edant atque bibe
Plutarcho. Circumcidimini LINGUA
usque extendatur & Altissimum blasphem
detrahat, ne piorum aures offendat, a
plateas repleat. Circumcidimini AUR
miscuè per eas ad cor admittatis ve
quæ saluti vestræ prodesse possunt. Ce
quamvis facile biberitis aquam, eam eti
atque noxia, cur ergò quosvis sine discrim
imbiberetis sermones? Circumcidimi
dum breviori collo longiores attrahitis
moderatiore calorem naturalem, hum
alitur, lenem obruentes, vitam (futuram
rem) vobis præcidatis ipsi. Circumcid
dum in prælia proruitis atque pugnas, in
sanguinem. Circumcidimini PEDES, n
datorum Domini vagentur, sed sanctissim
manuelis insistant vestigiis. CIRCUMC
NO ET AUFERTE PRÆPUTIA COR
RUM. De corde enim exeunt cogitati



ndite,
cum-
Non
Quis
nrum
INO,
ne
In-
cum-
orum
Quos
libere
cum-
alum
oximo
boatu
a pro-
atum.
viam
ida sit
eriam
M, ne
oim-
quo is
ongio-
UIS, ne
ndatis
man-
ifi Im-
OMI-
TRO-
& quæ
coin-